

test expendere : et si forte expendit, juxta sententiam veriorum, tenetur ad restitutionem. Dicunt tamen Croix, et Sporer, hoc intelligi debere cum materia monetæ est falsa, secus vero si tantum est adulterina imago principis.

205. *Locatio* est contractus quo quis personam aut rem suam alteri dat ad usum pro certa mercede. Nota 1. quod si res fiat inutilis usui, conductor non amplius tenetur ad pensionem promissam (1). Nota 2. quod expensæ ordinariæ parvi momenti spectant ad conductorem; sed extraordinariæ (modo sint utiles) ad locatorem. Sed casu quo conductor se obligasset ad melioramenta, intelligitur se obligasse suis expensis (2). Not 3. quod si res perit, conductor ad nihil tenetur, modo locator non probet ejus culpam. Nota 4. quod locator non potest rem repetere, nisi in sequentibus casibus, nimirum, 1. si conductor non solvit pensionem biennio: 2. si res sit necessaria locatori 3. si fundus non possit aliter reparari: 4. si conductor ea re abutatur, v. gr. si ibi alat meretrices, destruat, etc. (3).

206. Notatur 5. quod successor universalis, nempe hæres, non potest ante præfinitum tempus cum testatore conductorem expellere; bene tamen potest successor particularis, ut legatarius, donatarius, aut emptor, ut habetur ex I. *Emptorem c. de legat.* Excipiunt nonnulli d. si ager jam esset cultus aut seminatus: sed ego nescio quomodo huic exceptioni sit locus, cum lex (ut expressum est in L. *Qui fundum, 25. ff. de locat. ubi sermo est de legatario*) jam dat conductori actionem pro damnis, quæ patitur, in hæredem (4).

207. Notatur 6. quod damnum sterilitatis ex se loquendo spectat ad conductorem; sed loquendo ex æquitate, cum non intercedit culpa con-

(1) N. 857. ad 2. — (2) n. 863. — (3) n. 858. — (4) lib. 3. n. 858. ad 44. et 859.

ductoris, et sterilitas est nimia (ut si aliquo anno fundus non fructificaret ne pensionis quidem medietatem, sicut dicunt Less. Lugo, etc.) tunc debetur remissio, ut habetur ex c. *Propter, de locat.* et ex L. 8. c. *eodem tit.* Et si nihil fructificaret, nihil deberetur (5).

208. Dubitatur 1. an liceat pauperi elocare jus mendicandi? Alii affirmant, sed nos negamus cum pauperi non posset elocare (6).

209. Dubitatur 2. si tabellarius eodem proficiscatur duorum mandata executurus, an possit integram mercedem ab ambobus recipere? Aurigæ certo possunt, ob consuetudinem quæ viget. Quoad alios autem probabile est, ut dicit p. Concina, quod tantum dimidiam mercedem exigere possint; sed probabile est etiam cum Less. Laym. Castrop. et Croix, quod possint exigere integram ab unoquoque, cum per accidens contingat, quod opera sit utilis utrique (7).

210. Dubitatur 3. an dominus debeat solvere salariam famulo ad annum conducto, si aliquos menses ægrotet? Dicimus cum communi (contra paucos) non teneri; nisi alicubi aliud ferret consuetudo. Et dicimus cum Lugo, et aliis (contra Azorium) ne ad expensas quidem infirmitatis teneri, nisi esset quia servus in gravi necessitate esset (8).

211. Contractus *emphyteusis* est, cum dominus dat corpus stabile alteri in perpetuum, aut saltem per annos 10. ad meliorandum; ita ut ipse retineat dominium directum, et dominium utile transferatur ad emphyteutam, cum onere solvendi annuum canonem: quicanon si non solvatur per tres annos, dominus potest sibi vindicare fundum, si hoc erit sæcularium, duos si Ecclesiæ. Præfatus canon semper debetur, etiamsi fundus periret quoad partem (secus si periret totus), et etiamsi patere-

(5) N. 860. — (6) n. 864. — (7) n. 862. — (8) n. 864.

ur gravem jacturam fructuum, modo pensio non esset magna, et fere æqualis fructibus, nam tunc ex æquitate debet illa diminui (1).

212. *Feudum* est contractus similis emphyteusi, cum datur fundum nobilem aut rusticum vassallo sub onere exhibendi fidelitatem et obsequium personale domino directo (2).

213. Contractus *libellaticus* denique est, cum emphyteuta sive feudatarius tradit tertio fundum eundem sub iisdem conditionibus, et hic contractus dicitur etiam subemphyteusis, aut subinféudatio (3).

#### PUNCTUM IX. DE SPONSIONE ET LUDO.

214. *De sponsione, an sit licita, et quid si altera pars dicat se certo scire factum.*

215. *De ludo filiorumfamilias, et Religiosorum.*

216. *De fraudibus.*

217. *De ludis prohibitis, an sint prohibiti laicis; et an victor possit sibi retinere lucrum.*

218. *An qui perdit teneatur solvere; quid si intercessit juramentum solvendi, et non repetendi.*

219. *De ludis prohibitis clericis.*

220. *Religiosis.*

221. *Episcopis.*

214. Sponsio (vulgo *scommessa*) est, cum duo de eventu alicujus facti contententes aliquam summam spondent consequendam ab eo pro quo stat veritas. Hæ sponsones non sunt prohibitæ (saltem graviter) nisi fiant sub conditionibus peccaminosis, aut si qui ad invicem sponsonem facerent, quis eorum plus vini potabit; aut si quis sponderet aliquid tantum perditurum, si tale peccatum non assequatur, quia tunc se exponit majori periculo peccandi. Quis si sponderet aliquid, non fore peccaturum (4). Ut autem præfata sponsones sint justæ, requiritur æqualitas tam præmii, quam dubii circa eventum. At si quis unquam diceret se certo scire aliquid, et alter, hoc non obs-

(1) n. 865. et 866. — (2) N. 867. — (3) n. 868. — (4) lib. 3. n. 869. et 870.

lante, etiam vellet sponsonem interponere, tunc dicunt alii quod potest refinere præmium, quia tunc alter cedit suo juri: sed nos sentimus oppositum cum Lugo et La-Croix quando ille alter etiam pro certa haberet suam assertionem; nam tunc ille non habet animum cedendi, sed inductus est ad ita sponsonem certandum a solo errore suo, ratione cuius alter non habet jus sibi retinendi præmium. Secus autem dicerem, si ille jam dubitasset, quia tunc cessat deceptio, et revera vult cedere juri suo (5).

215. Agendo de ludo oportet distinguere ludum in generali a ludo prohibito. Quod ludum in generali, notandum est quod summa victa filiofamilias restituenda est, modo non sit de suis bonis castrensibus, aut quasi; aut si adsit patris consensus, aut sit summa parvi momenti, aut sit aliqua pars moderata deducta ab alimentis, quæ ei pater ministrat. Et idem dicitur de uxoribus, et Religiosis. Contra isti tenentur restituere pecuniam quam lucrati sunt ab aliis (nisi esset modica summa), licet alii scivissent hos subditos, et proprium peculium non habere (6). Hic autem fit quæstio, an illi Religiosi, qui habent licentiam generalem a Superiore expendendi peculium suo arbitrio, peccent contra paupertatem si illud in ludos insumunt? et an victores teneantur ad restitutionem? Plures auctores, ut Suar. Lugo, Hurtad. Rebel. Salas, Med., etc. dicunt esse probabile quod non; tum quia Superior tunc aufert impedimentum voti, tum quia saltem tunc licentia præsumitur data a religione, quæ licet invita circa modum, non est circa substantiam. Nihilominus nos dicimus cum Nav. Less. Sanch. Salm., etc. esse absolute probabile oppositum, quia talis licentia non præsumitur fuisse data a Prælati, nec Prælati, licet vellent, possunt eam impertiri; cum ipsi sint

(5) N. 879. — (6) n. 872. ad 876.



simplices administratores, non autem domini bonorum monasterii (1).

216. Notandum 2. quod lusor, si fraudibus injustis utitur, v. g. signis notando chartas, aut mutando *talos*, etc. debet restituere lucrum, et etiam quantum valebat alteri spes lucrandi. Dictum est *fraudibus injustis*, nam licet uti iis astutiis, quas regula lusus, et consuetudo ferunt, ut aspicere chartas, quas alter sua negligentia conspici facit, aut dignoscat chartas quæ exterius ob aliquod casuale signum ex seipsis dignosci possunt (2).

217. Quoad ludum prohibitum, notandum est quod omnes ludi sortis (qui dicuntur lusus alearum) ut sunt lusus taxillorum, qui vulgo dicuntur *bassetta*, *primera*, etc. hi vetiti sunt tum jure canonico c. *Episcopus dist. 35. et c. Clerici, de vita, et honest. cleric.* tum jure civili, *L. Alearum, c. de Rel. et sump. fund.* Deinde distinguere oportet in hac materia laicos ab Ecclesiasticis. Quoad laicos, est commune inter dd. tales lusus non esse prohibitos sub gravi, quia citatus Canon *Episcopus* est a consuetudine derogatus, et leges civiles circa hos sunt penales, cum (in victorum pœnas) dant actionem ei qui vincitur, repetendi summam amissam (3) Ex quo cæteroquin inferitur, quod victor potest sibi lucrum retinere, donec per iudicis sententiam non obligetur restituere, juxta communem (4) Et hoc etiamsi lususset animo repetendi, si perdebat (5).

218. Contra communis est sententia et probabilior cum Sanch. Less. Lugo, Viva, Nav. Tolet. Layman. Mol. Salm., etc. (contra Sayr Bann. et alios paucos) quod qui perdit, non tenetur solvere; quia cum ei detur a lege beneficii repetendi, datur etiam non solvendi, ut deducitur ex alia *L. Creditori, c. de pactis*, ubi dicitur: *Frustra solvitur, quod statim*

(1) n. 873. et l. 4. n. 31. — (2) l. 3. h. 882. — (3) n. 885. — (4) lib. 3. n. 887. — (5) n. 889.

*repetendum est* (6). Si autem vellet transigere, bene potest id facere, licet non haberet animum iudicem adeundi (7); et licet cessisset beneficio legis, quia cum lex sit edita ob bonum commune, ejus cessio est nulla. Modo (limitatur) ex utraque parte non sit juramento firmata promissio, non solum de solvendo, sed etiam de non repetendo: nam lex vetat quidem hujusmodi lusibus ludere, sed non quidem solvere amissum: unde tunc neuter lusorum ne potest quidem juramenti relaxationem petere, dum adest tertii præjudicium (8). Et ille qui perdidit, si jam solvisset, non potest sibi compensare, nisi adest iudicem, licet non jurasset de non repetendo (9). Sed si ille peteret contractus rescissionem, et alter renueret, vide dicta n. 125.

219. Quoad Ecclesiasticos, non est dubitandum quin clerici (in Sacris tamen aut beneficiati, dum pro aliis interdictio saltem observavit) peccent lethaliter, si ludant lusibus meræ sortis, ut superius explicatum est, cum iis frequenter ludunt et diu, licet in modica quantitate, quia hujusmodi lusus notabiliter Ecclesiasticorum statum dedecet. Et idem dicitur si exponunt ludo magnam quantitatem, licet raro; saltem cum in hoc grave adesset scandalum aliorum, ut vult Layman (10). Dictum est *lusibus meræ sortis*, nam simplices lusus chartarum, in quibus vincere dependet tam a sorte, quam ab industria, ut sunt lusus appellati recreationis, v. g. *tressette*, *ombre*, et alii id genus, hi non sunt vetiti sub gravi clericis, saltem ex hodierna consuetudine, nisi adesset scandalum, aut peculiaris alicui prohibitio (11).

220. Loquendo autem de Religiosis, si isti sunt reformati strictioris observantiæ, ut Capuccini, Theresiani, Jesuitæ, Alcanterini, et similes, illi ludendo ludis sortis, etiam semel,

(6) n. 890. — (7) n. 894. — (8) n. 891 et 892. — (9) n. 893. — (10) n. 897, et 898. — (11) n. 900.

non excusantur a gravi: et tanto minus excusantur Superiores qui id permittunt. Et idem ego dicendum puto, si quocumque chartarum ludo, etiam recreationis causa (ut supra dictum est) ludant, saltem si luderent semel, et iterum; tum ob scandalum, cui essent laici, tum ob abusum qui irreperet. Quoad autem alios Religiosos laxioris observantiæ, ut dictum est de clericis, ita etiam dicunt dd. tunc graviter peccare, cum luderent lusibus meræ sortis, et frequenter, aut in nimia quantitate; præter peccatum contra paupertatem, ut dicitur *Tract. 13. n. 13. et 14.* Si autem ludus esset simplex (ut supra explicatum est.) Peyrin. Dicast. Salm., etc. eos excusant a gravi, et etiam a levi, ut dicunt, si luderent animi gratia; sed hujusmodi solatium mihi semper videtur indecens statui religioso, nec usus mihi videtur posse id coonestare (1).

221. Sed si Episcopus luderet aleis, etiamsi semel, aut frequenter chartis solatii causa, nescio quomodo possit excusari a gravi scandalo. Et idem dico de Praelato qui frequenter, et ex proposito assisteret alearum lusibus. Sed quoad clericos et Religiosos qui assistunt, licet hoc etiam vetitum sit a Canonibus (*cap. Clerici, de vita, et honest. cler.*) nihilominus communiter dd. eos excusant a culpa gravi (2).

#### PUNCTUM X.

##### DE SOCIETATE.

222. *Conditiones ut sit justa societas.*  
 223. *Debet prius de trahi capitale domino.*  
 224. *Debet attendi valor laboris, et commoditatis sortis, quæ spectat ad dominum.*  
 225. *Dammum sortis cui spectat.*  
 226. *De animalium societate, ad caput satvum, et de pacto supplendi animalia mortua.*  
 227. *De contractu trium contractuum.*  
 228. *An filius negociando pecunia paterna, etc.*

(1) n. 901. — (2) n. 902 et 903.

229. *De Societate inter fratres.*  
 230. *Quot modis finitur societas.*

222. Contractus societatis is est, cum duo saltem contribuunt pecuniam et laborem, ut commune faciant lucrum, aut damnum. Conditiones societatis sunt tres, 1. ut ineat in materia honesta; 2. ut adsit æqualitas inter laboris æstimationem, et pecuniæ commoditatem; 3. ut uterque socius subeat onus damnorum, et expensarum quæ eveniunt ob negotiationis causam, sed damnum sortis spectet tantum ad dominum (3).

223. Ex quo inferitur 1. quod si unus contribuit pecuniam, alter vero laborem, terminata societate, prius restituenda est sors domino, et postea reliquum dividendum est, ut recte docent Lugo, Bonac. Cabass. Petroc., etc. (quicquid dicant alii); quia sicut, sorte pereunte, tota perit domino, ita eadem (dum existit) tota ei debetur. Nec valet dicere quod altero laborem conferente, et altero pecuniam, æquum est ut in fine totum dividatur; quia in ea societate qui contribuit sortem, non contribuit pecuniam, sed hujus commoditatem; unde si unus contribuit navem, et navicularius laborem, absoluta navigatione, navis utique tota ad dominum spectat, qui illius commoditatem contulit; non secus cum quis confert sortem, ea integra ad dominum spectat (4).

224. Inferitur 2. quod in facienda divisione, prius (uti jam dictum est) detrahendum est capitale in domini beneficium; deinde dividendum est lucrum, habita proportione valoris industriæ a socio adhibitæ, et valoris, non jam sortis (uti contendit Cabassut.) sed commoditatis sortis collatæ ab altero, juxta communem æstimationem lucrum quod producere potest pecunia negotiationi applicata, uti recte dicunt Castrop. Ronc. et Rebell. In quo potest contingere aliquando, quod industriæ valor ita ex-

(3) l. 3. n. 904. ad 906. — (4) n. 907.



cedat valorem usus pecuniæ, ut justum reddatur pactum (quod ex se esset injustum), ut dividatur etiam capitale. Advertendum contra quod in aliquibus locis valor industriæ sit ita tenuis ob loci consuetudinem, aut ob frequentiam operariorum, ut recte subiciatur operarius etiam quoad partem periculo sortis, licet ipsum periculum per se totum solius domini esse debeat (1).

225. Inferitur 3. quod damnum sortis ad dominum totum spectat, quamvis sors pereat antequam operarius suum conferat laborem (ut non recte excipiunt nonnulli dd.), quia, ut non semel supra explicatum est, non confertur sors, sed tantum usus illius. Unde dato quod pereat sors in principio societatis, dominus nihil confert de pecuniæ usu; ideoque operarius ad nihil tenetur, licet nihil laboris sui contribuatur (2).

226. Inferitur 4. quod injusta est societas pecudum cum pacto, quod dicitur *ad caput salvum*, nempe ut, absoluta societate, prius restituatur pecora in eodem numero, et valore, licet illa sint mortua, aut deteriora facta, deinde reliqua dividantur; hic contractus est injustus, quia damnum sortis (ut dictum est) totum domini est, nihil custodis (3). Et ita etiam dicimus cum Tamb. Silv. Angelo, etc. (contra Azor. Ronc., etc.) non licere (ex se loquendo) pactum, durante societate, sufficiens partus in locum armentorum, quæ moriuntur, quia partus, uti fructus societatis, non debent substitui, sed dividi; unde tale pactum redundaret in custodis damnum (4). Advertendum tamen hic quod, deficientibus pecoribus, custodis intererit probare quod illa sine sua culpa perierint, ut notant Pontas, Tourn. etc. ex *L. Cum duobus* 52. §. *Damna ff. Pro socio* (5).

227. Hic autem 1. agitur illa ce-

(1) N. 907. quær. 2. — (2) cit. n. 907. v. quær. 3. — (3) n. 909. quær. 3. — (4) lib. 3. n. 909. v. Hic operæ. — (5) n. 544. et etiam 488. ad v. 3. in fin.

lebris quæstio, an liceat exigere utrum certum, salvo capitali, mediis *tribus contractibus*, nempe societatis, assecurationis sortis, et assecurationis lucris, contra qui confert pecuniam, cedere debeat majori lucris parti, quod sibi probabiliter contingeret præcis præfatis assecurationibus. Multi dd. ut Merbes, Concina, Habert, Tourn., etc. negant; quia (uti dicunt) talis conventio, posita sortis atque lucris assecuratione, non esset amplius societas, quæ de natura sua cum ea sit, ut dans pecuniam periculo subjaceat transiret in mutuum, unde non potest exigi lucrum. Sed alii communius admittunt, ut Navar. Tolet. Less. Lugo, Castr. Bon. Ronc. Salm., etc. dicentes quod illi tres contractus, si separatim inirentur, jam essent justis; et ita volunt etiam, cum fiunt cum eodem. Nec est verum, subjungunt, quod talis contractus transeat in mutuum, quia qui accipit mutuum potest suo libitu pecuniam impendere; sed hic socius omnino debet in negotiationem eam impendere, quapropter essentialiter mutatur natura mutui. Et sciendum quod hic trinus contractus approbatus fuit a facultatibus theologicis coloniensi, trevirensi, salmanticensi, moguntinensi, et aliis, ut refert quidam liber typis editus Parisiis 1745. cum titulo: *Exam. théolog. sur la société du prêt à rente*. Dicerem tamen ut hic contractus nunquam fieret, theologorum consilio non præcedente.

228. Quæritur 2. an filius negotians pecunia paterna possit accipere partem lucris suo labori et industriæ correspondentem? *Affirmat Ronc.* casu quo filius negotiatur proprio nomine, quia tunc, dicit, de ræte valore alimentorum quæ a patre recipit, posset sibi sumere quantum pater præstaturus esset aliis pro hujusmodi labore. Sed huic opinioni acquiescere non possumus, quia licet ipsa sit probabilis, attamen cum etiam probabilis sit opposita Molinæ, Lug. Sil-

## PUNCTUM XI.

DE ASSECURATIONE, FIDEJUSSIONE, PIGNORE, HYPOTHECA, TUTELA, ET TESTAMENTIS.

231. *De assecuratione.*  
 232. *De fidejussione.*  
 233. *De pignore et hypotheca.*  
 234. *De tutela et curatela; et an pupilli possint se obligare, et donare.*  
 235. *De testamentis. Si constet de voluntate testatoris, etc. Si adsit tantum unus testis, etc.*  
 236. *De legato pro virginibus. An ultimæ voluntates possint immutari a Papa aut ab Episcopo.*  
 237. *De obligatione legandi bona filiis, fratribus, aut aliis conjunctis pauperibus.*  
 238. *In quibus casibus pater possit exheredare filios.*

231. Contractus *i. assecurationis* est cum quis suscipit sibi rei alterius periculum mediante aliquo justo pretio, se obligando ad eam compensandam si pereat. Ut hic contractus sit justus, requiritur ut eventus sit incertus, saltem quoad præsentem notitiam (5).

232. II. *Fidejussio* (vulgo *pieggeria*) est cum quis alienam obligationem suscipit implendam, si debitor principalis non esset solvendo. Unde prius fieri debet discussio a principali; et si principalis ad nihil teneretur, ad nihil etiam tenetur fidejussor. Pro fidejussione semper licet accipere pretium, licet absit periculum, ut communiter dd. contra paucos: quia assumptio talis obligationis de se est pretio æstimabilis (6).

233. III. *Pignus* et *Hypotheca* similitudinem habent ad invicem, dum pignus est, cum debitor dat creditori rem mobilem; hypotheca, cum dat aliquid stabile, ut sit pro debito obligatum. Creditor non potest uti pignore sine consensu debitoris; et si illo utitur, debet in sortem commutare fructus, quos percipit. Cæterum præsumitur præfatus consensus, cum usus non est domino damno ut ait p. Viva, prout esset li-

(5) N. 914. — (6) N. 912.

vest. et aliorum, nempe quod filius cum patre cohabitans non potest sibi compensare labores suos stipendio, quod extraneo dandum fuisset, modo labores non essent excedentes (1); qua de re cum agatur de compensatione, pro qua requiritur jus certum et liquidum, nequit filius eam sibi facere sine patris consensu (2).

229. Notandum quod inter fratres non intelligitur facta societas nisi omnes fratres alicui negotiationi vacent, aut si quis eorum negotiatur, et alii non conferunt bona propria præter communia; nam si unus confert bona propria, alii vero tantum bona communia, bene potest ille se compensare juxta excessum, quem de suis bonis, aut de suo labore in negotiatione impendit. Sed si unus fratrum ab aliis absens de bonis communibus in communi negotiaretur, intelligitur durare societas usque dum alii fratres divisionem non exposcant (3).

230. Notandum denique quod societas potest dissolvi multifariam: 1. Cum terminatur negotium et tempus prædefinitum: 2. mutuo consensu sociorum, etiam tacito, v. gr. si alter eorum seorsim negotiari incipiat. Cæterum neuter sociorum potest a contractu se abdicare, nisi esset quia ei incumbendum foret in bonum publicum, ut si alter damno esset societati, aut si pactis non staret; 3. morte alterius socii, quia societas non transit ad hæredes, nisi quoad negotia jam incepta, aut nisi adesset pactum juramento firmatum cum defuncto socio, ut dicit Bon.: 4. exilio, aut professione religiosa; 5. si alter sociorum infirmitate, aut alia causa necessaria non posset amplius parti suæ satisfacere; 6. si amittitur pecunia contributa; 7. si ita res mutatur, ut societas evadat inepta fini (4).

(1) n. 910. — (2) n. 907. quær. 5. — (3) l. 3. n. 907 quær. 6.



ber pignori datus, et hujusmodi. Res sacræ, ut calices, planeta, etc. non possunt pignorari, nisi ad subveniendum pauperibus, aut ecclesiis. Item advertendum quod contractus dictus *antichriseos*, vulgo *a godere*, est illicitus (ut dictum est n. 182.), nisi subesset justus titulus damni, aut loci cessantis aut pœnæ conventionalis (1).

234. IV. *Tutela*, aut *curatela* sunt quidem quasi contractus, quibus tutores et curatores obligantur sibi esse curæ pupillos et minores, tam quoad educationem, quam quoad bonorum administrationem. Et hic notandum quod pupilli, et minores non possunt sua bona obligare (exceptis castrensibus, aut quasi), si sunt stabilia, sine iudicis auctoritate: et si sunt mobilia, sine consensu tutoris, aut curatoris. Dubitatur tamen, an si ipsi obligentur, saltem remaneant naturaliter obligati? Affirmamus cum Less. Lug. Navar. Sanch. Laym. Castrop. Salmant. et aliis (contra Bonac. etc. quoties pupillus est saltem proximus ad pubertatem, et contractus non sit cum ipso suo tutore, aut curatore, sed cum extraneis, nam in *L. Novatio ff. de novat.* hoc habemus expressum, cum ibi dicatur: *Dummodo obligatio utiliter teneat, aut naturaliter, ut puta* (notetur) *si pupillus sine auctoritate tutoris promiserit.* Præterea advertatur quod pupilli, et minores non possunt donare, nisi illa quæ alii similis conditionis donare possunt; sed donatarii non tenentur restituere accepta, nisi post iudicis sententiam; nam tales donationes jam jure naturæ sunt validæ (2).

235. V. Quoad testamenta, etiam moralistæ fusius de hoc tractant, sed quia hæc potius ad forum; quam ad conscientiam spectant, omitta hic facio, cum me ad ea, quæ in opere morali dixi remittam (3). Hic tantum aliqua, quæ confessorium juvant scire, adnotabo. Notandum 1.

(1) N. 913 ad. 916. — (2) L. 3. 917. et 918. — (3) N. 919.

quod cum hæredi constat voluntas testatoris circa dispositionem piam, ipse in conscientia tenetur eam adimplere, licet nullæ adessent probationes externæ. Sed cum hoc non constat, non tenetur credere uni soli festi, licet probatissime, qui hoc sibi testatur; quia saltem debent esse duo testes; ita habetur ex *c. Relatum 1. de test. et c. Licet de testib.* ubi dicitur: *Nulla tamen est causa, quæ unius testimonio, quamvis legitimo, terminetur.* Et hæc regula certa est, ut ait Laym. et recepta ab omnibus communiter (4).

236. Notandum 2. quod legatum relictum virginibus debetur etiam corruptæ, si ejus corruptio est occulta, juxta communem sententiam (5). Notandum 3. legatum relictum virginibus oriundis non dandum virginibus ibi fortuito natis, ut dicunt Sanch. Trullench. et Barbosa apud Ferraris (6). Notandum 4. piæ dispositiones solum a Papa commutari posse, cum justa intercedit causa, ut exprimitur in *Clement. Quia contingit de domib. relig.* non autem ab Episcopis, qui, (sicut probabiliter dicunt Laym. Bonac. Salm. et Trull.) tum tantum possunt, cum superveniret talis causa, quæ si cognita fuisset a testatore, aliter disposuisset, interpretari ejus voluntatem et applicare legatum alii usui pio (7).

237. Notandum 5. testatores tenentur in conscientia, et quidem sub gravi legare sua bona, non solum hæredibus necessariis, v. g. filiis et parentibus, aut avis, quoad legitimam; sed etiam fratribus et sororibus, cum isti necessitate extrema aut gravi laborant, ut tenendum est cum Lugo Bonac. Silv. Diana, etc. contra Salmant. Ratio est quia nos in vita jam tenemur diligere, et adjuvare fratres pauperes sub gravi obligatione, ut docent communiter Laym. Silvest. Ang. cum ipsismet Salm. ob sanguini

(1) N. 923. et 924. — (5) N. 930. dub. 6. — (6) Ap. Ferraris bibl. v. Civitas n. 71. — (7) L. 3. n. 931.

nis ligamen, et ita ut si quis suum fratrem lædit, duo committit peccata, unum contra justitiam, et alterum contra pietatem. Si igitur obligatio pietatis nos in vita ligat quidni in morte? Dixi *necessitate extrema aut gravi*, quia si fratres essent quidem pauperes, sed non in tanta necessitate; aut si essent conjuncti in gradu remotiori, licet isti essent in gravi necessitate, tunc probabiliter non erit obligatio gravis, sed erit saltem levis (1).

238. Notandum 6. quod pater potest ex hæredare filios ex justa causa, (1) N. 946.

puta si isti tentassent eum interficere aut impedire, quominus testaretur, aut alia gravi injuria eum affecissent; secus vero si matrimonium cum personis suæ qualitatis imparibus contraxissent. Contra est valde probabile quod pater possit ex hæredare filiam, quæ cum esset ætate minori 25. annis, luxuriose vixisset (2). Hoc tamen intelligitur, si filia (aut filius) habeat unde vivat, quia illa cum paupertate laborat, pater semper tenetur ei alimenta ad vitæ sustentationem necessaria ministrare (3).

(2) N. 948. — (3) N. 344.

## TRACTATUS XI.

### DE OCTAVO PRÆCEPTO DECALOGI

#### CAPUT UNICUM.

##### De judicio temerario, contumelia et detractione.

#### PUNCTUM I.

##### DE JUDICIO TEMERARIO.

1. De judicio et suspitione temerariis.
2. Advertenda pro praxi.

1. Judicium temerarium tunc est peccatum mortale, cum sine sufficienti fundamento judicamus proximum aliquod grave malum commississe. Ex quo inferitur quod hujusmodi judicia plerumque excusantur a mortali, aut quia fundamentum judicatur sufficiens, aut quia non sunt judicia, sed suspiciones, quæ quamvis sint temerariæ, non attingunt mortale, nisi dubitetur quod personæ bono nomine essent reæ gravissimorum criminum, uti atheismi, hæresis, incestus cum parentibus et hujusmodi (4).

2. In hac materia igitur advertat confessorius multos rudes se accusare, quod temere judicant: oportet efficere ut ipsi sciant 1. cum adsunt sufficientia momenta ita judicandi de aliqua actione, judicium non esse temerarium, sed justum adeoque non

esse culpabile; 2. hæc ut plurimum non esse judicia, sed suspiciones, quas domini, et patres familias aliquando tenentur habere, ut aliquod peccatum impediant: v. g. ne servi furentur, ne filia peccent cum hominibus versando, et alia id genus. Tantum advertatur ne hujusmodi suspiciones cum aliis communicent sine necessitate.

#### PUNCTUM II.

##### DE CONTUMELIA.

3. De contumelia, et de honoris restitutione.
4. Causa quæ excusat.
5. De reservatione et lectione epistolarum.
6. Cui hoc permissum sit.

3. Contumelia etiam est grave, cum per eam graviter læditur honor proximi coram ipsomet. Unde si publica fuit, publice ei honor restituendus est, veniam ab eo petendo, aut saltem efficiendo ut hi sciant jam talem honoris restitutionem factam fuisse (5). Et si contumelia clam illata est, etiam secreto compensanda est, juxta veram et communem sententiam Lessii, Lug. Spor. Romc. a.

(5) N. 966. et 984. ad 988.

(4) Lib. 3. n. 962. ad 965.